

rectissimè & ordinatissimè vivitur. Quod ergo est in uno homine mens & concupiscentia ( illa enim regit , hæc regitur ; illa dominatur , hæc subditur ) hoc in duobus hominibus viro & muliere secundum sexum corporis figuratur. De quo sacramento loquens Apostolus dicit , virum non debere velari , sed debere mulierem. Tanto enim gloriosius mens ad superiora promovetur , quanto diligentius ab inferioribus concupiscentia cohibetur ; donec totus homo cum ipso etiam mortali nunc & fragili corpore in resurrectione novissima incorruptione atque immortalitate induatur , & absorbeat mors in victoriam.

I. Cor. 15.  
54.

CAPUT  
XXXIII.  
Bonos quosdam crinitos rogat, ut capillos radant.

41. QUAPROPTER qui recta facere nolunt , desinant saltem docere perversa. Sed alii sunt , quos isto sermone corripimus : illos autem qui hoc uno vitio capillorum contra præceptum apostolicum demissorum offendunt & perturbant Ecclesiam ; quia cum alii nolentes de illis mali aliquid sentire , coguntur manifesta verba Apostoli in perversam detorqueere sententiam ; alii sanum intellectum Scripturarum defendere malunt , quam a quolibet homines adulare ; existunt inter fratres infirmiores & firmiores amarissimæ & periculosissimæ contentiones : quod illi fortè si scirent , hoc quoque sine dubitatione corrigerent , quorum cetera miramur & amamus. Illos ergo non corripimus , sed rogamus & obsecramus per divinitatem & humanitatem Christi , & per caritatem Spiritus sancti , ne ultra jam ponant hoc offendiculum infirmis , pro quibus Christus mortuus est , & dolorem cruciatumque nostri cordis exaggerent , cum

co-

a Sic MSS. Lov. quibuslibet hominibus adulari.

cogitamus quanto proclivius hoc malum ad decipiendos homines imitari possint mali , cum in eis hoc vident quos propter alia tanta bona debitis officiis christianæ dilectionis honoramus. Quod si post hanc admonitionem vel potius obsecrationem nostram in eo sibi perseverandum esse putaverint , nihil aliud faciemus quam dolebimus & gememus. Hoc noverint , sufficit : si servi Dei sunt , miserentur ; si non miserentur , nolo quidquam gravius dicere. Hæc itaque omnia in quibus fortasse loquacior fui , quam vellem occupationes & tuæ & meæ , si approbas , fac innotescere fratribus & filiis nostris , propter quos mihi es hoc onus dignatus imponere : si autem aliquid retrahendum vel emendandum videtur , rescriptis tuæ beatitudinis noverim.



### EPISTOLA XLVIII. \*

Augustinus Eudoxio abbati monachorum insule Caprariæ , exhortans ut otio ad pietatem non ad ignaviam utantur , & sicubi Ecclesia requirat illorum operam , ne detrectent.

\* Alias  
LXXXI.  
que autem  
48. erat,  
nunc 93.

Domino dilecto & exoptatissimo fratri compresbytero EUDOXIO , & qui tecum sunt fratribus , AUGUSTINUS , & qui mecum sunt fratres in Domino salutem.

I. QUANDO quietem vestram cogitamus , quam habetis in Christo , etiam nos , quamvis in laboribus variis asperisque versemur , in vestra caritate requiescimus. Unum

Scripta  
fortè an.  
398.

TOM. VI.

MM

enim

1. Cor. 12.  
26.

enim corpus sub uno capite sumus, ut & vos in nobis negotiosi, & nos in vobis otiosi simus. *Quia si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: & si glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra.* Admonemus ergo & petimus & obsecramus per Christi altissimam humilitatem & misericordissimam celsitudinem, ut nostri memores sitis in sanctis orationibus vestris, quas vos vigilantiores & magis sobrias habere credimus: nostras enim sæpe sauciat & debilitat caligo & tumultus sæcularium actionum: quas etsi nostras non habemus, eorum tamen qui nos angariant mille passus, & jubemur ire cum eis alia duo, tantæ nobis ingeruntur ut vix respirare possimus: credentes tamen quod ille in cujus conspectu intrat gemitus compeditorum, perseverantes nos in eo ministerio, in quo dignatus est collocare cum promissa mercede, adjuvantibus orationibus vestris ab omni angustia liberabit.

16. q. 1.  
Vos autem  
fratres.

2. Vos autem, fratres, exhortamur in Domino ut propositum vestrum custodiatis, & usque in finem perseveretis: ac si quam operam vestram mater Ecclesia desideraverit, ne elatione avida suscipiatis, nec blandiente desidia respuatis, sed miti corde obtemperetis Deo; cum mansuetudine portantes eum, qui vos regit, qui dirigit mites in iudicio, qui docet mansuetos vias suas. Nec vestrum otium necessitatibus Ecclesiæ præponatis, cui parturienti si nulli boni ministrare vellent, quomodo nasceremini, non inveniretis. Sicut autem inter ignem & aquam tenenda est via, ut nec exuratur homo, nec demergatur: sic inter apicem superbiæ & voraginem desidiæ iter nostrum temperare debemus, sicut scriptum est:

est: *Non declinantes, neque ad dexteram, Deut. 17. neque ad sinistram.* Sunt enim qui dum nimis timent, ne quasi in dexteram rapti extollantur, in sinistram lapsi demerguntur. Et sunt rursus qui dum nimis se auferunt à sinistra, ne torpida vacationis mollitie sorbeantur, ex altera parte jactantiæ fastu corrupti atque consumti, in favillam fumumque vanescunt. Sic ergo, dilectissimi, diligite otium, ut vos ab omni terrena delectatione refrenetis, & memineritis nullum locum esse, ubi non possit laqueos tendere, qui timet ne revolemus ad Deum; & inimicum omnium bonorum, cuius captivi fuimus, a judicemus, nullamque nobis esse perfectam requiem cogitemus, donec transeat iniquitas: & in iudicium justitia convertatur.

Otium ad  
pletatem,  
non ad ignaviam  
utendum.

3. Item cum aliquid strenuè atque alacriter agitis & impigrè operamini, sive in orationibus, sive in jejuniis, sive in eleemosynis; vel tribuentes aliquid indigentibus, vel donantes injurias, sicut & Deus in Christo donavit nobis; sive domantes perniciosas consuetudines, castigantesque corpus, & servituti subjicientes; sive sufferentes tribulationem, & ante omnia vos ipsos invicem in dilectione (quid enim sufferat qui fratrem non suffert?) sive prospicientes astutiam atque insidias tentatoris, & scuto fidei jacula ejus ignita repellentes, & exstinguentes; sive cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino, vel vocibus à corde non dissonis; omnia in gloriam Dei facite, qui operatur omnia in omnibus; atque ita fervete spiritu, ut in Do-

MM 2

mi-

<sup>a</sup> Sic nostri omnes MSS. & Vaticani duo. At editi habent, *vindicemus.*

mino laudetur anima vestra. Ipsa est enim actio recti itineris, quæ oculos semper habet ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes. Talis actio nec frangitur negotio, nec frigida est otio; nec turbulenta, nec marcida est; nec audax, nec fugax; nec præceps, nec jacens. Hæc agite, & Deus pacis erit vobiscum.

4. Nec importunum me existimet caritas vestra, quia vobis vel per epistolam loqui volui. Non enim hoc vos monui, quod vos non arbitror facere: sed credidi me non parum commendari Deo à vobis, si ea quæ munere illius facitis, cum alloquutionis nostræ memoria faciatis. Nam & antè jam fama, & nunc fratres qui venerunt à vobis<sup>a</sup> Eustasius & Andreas, bonum Christi odorem de vestra sancta conversatione ad nos adtulerunt. Quorum Eustasius in eam requiem præcessit, quæ nullis fluctibus sicut insula tunditur, nec Caprariam desiderat, quia nec cilicio jam quærit indui.

EPIS-

<sup>a</sup> In editis, *Eustathius*. At in membranis scribitur constanter, *Eustasius*.



EPISTOLA CLXXXIX.\*

*Bonifacio in militia merenti præscribit vitam rationem, ostendens obiter licere christiano pro publica pace arma tractare.*

\* *Alias CCV. quæ autem 189. erat, nunc in Appendice est 8.*

Domino eximio, & meritò insigni atque honorabili filio BONIFACIO AUGUSTINUS in Domino salutem.

1. JAM rescripseram caritati tuæ, sed cum epistolæ dirigendæ occasio quæreretur, supervenit dilectissimus filius meus Faustus, pergens ad eximietatem tuam. Qui cum ipsas litteras, quas jam feceram, accepisset tuæ benevolentia perferendas, suggestit mihi multum te desiderare, ut aliquid tibi scriberem, quod te ædificet ad sempiternam salutem, cujus tibi spēs est in Domino nostro Jesu Christo. Et quàmvis mihi occupato, tantum institui, ut facere non differrem, quantum scis quod te sinceriter diligit. Festinanti ergo ut occurrerem, malui festinanter aliquid scribere, quàm religiosum tuum desiderium retardare, Domine eximie, & meritò insignis atque honorabilis filii.

*Scripta circ. an. 418.*

2. Quod ergo breviter possum dicere: Dilige Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota virtute tua; & dilige proximum tuum tamquam teipsum. Hoc est enim verbum quod brevavit Dominus super terram, dicens in Evangelio: *In his duobus præceptis tota lex pendet & Prophetæ.* In hac ergo dilectione quotidie profi-

*Matt. 22. 37.*

*Matt. 22. 40.*

ce, & orando, & bene agendo, ut ipso adjuvante, qui tibi eam præcepit atque donavit, nutriatur, & crescat, donec hæc te perfecta perficiat. Ipsa est enim *caritas*, quæ, sicut Apostolus dicit, *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*. Ipsa est de qua item dicit: *Plenitudo legis caritas*. Ipsa est per quam fides operatur; unde iterum dicit: *Neque circumcisio quidquam valet, neque præputium; sed fides quæ per dilectionem operatur*.

Rom. 5. 5.

Rom. 13.

10.

Gal. 5. 6.

3. In hac ergo omnes sancti patres nostri & Patriarchæ & Prophetæ & Apostoli placuerunt Deo. In hac omnes veri martyres usque ad sanguinem contra diabolum certaverunt; & quia in eis non refriguit nec defecit, ideo vicerunt. In hac omnes fideles boni quotidie proficiunt, pervenire cupientes non ad regnum mortalium, sed ad regnum cælorum; non ad temporalem, sed ad sempiternam hæreditatem; non ad aurum & argentum, sed ad divitias incorruptibiles Angelorum; non ad aliqua bona hujus sæculi, in quibus cum timore vivitur, nec ea quisquam secum potest auferre dum moritur, sed ad videndum Deum; cujus suavitas & delectatio excedit omnem non solum terrestrium, verum etiam cælestium corporum pulchritudinem, excedit omnem decorem animarum quantumlibet iustarum atque sanctarum, excedit omnem speciem supernorum Angelorum atque Virtutum, excedit quidquid de illo non solum dicitur, verum etiam cogitatur. Neque hanc tam magnam promissionem, quia valde magna est, ideo desperemus; sed potius, quia valde magnus eam promisit, accepturos nos esse credamus. Sicut enim dicit beatus Joannes Aposto-

to-

tolus: *Filii Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus: scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*. 1. Joan. 3. 2.

4. Noli existimare neminem Deo placere posse, qui in armis bellicis militat. In his erat sanctus David, cui Dominus tam magnum perhibuit testimonium. In his etiam plurimi illius temporis iusti. In his erat & ille Centurio qui Domino dixit: *Non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo & sanabitur puer meus*. Nam *& ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic: Vade; & vadit; & alii: Veni; & venit; & seruo meo: Fac hoc; & facit*; de quo & Dominus: *Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israël*. In his erat & ille Cornelius, ad quem missus Angelus dixit: *Corneli, acceptæ sunt elemosynæ tuæ, & exaudita sunt orationes tuæ*; ubi eum admonuit, ut ad beatum Petrum Apostolum mitteret, & ab illo audiret quæ facere deberet; ad quem Apostolum, ut ad eum veniret, etiam religiosum militem misit. In his erant & illi, qui baptizandi cum venissent ad Joannem sanctum Domini præcursorem & amicum sponsi, de quo Dominus ipse ait: *In natis mulierum non surrexit major Joanne Baptista; & quæsiissent ab eo quid facerent; respondit eis: Neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum*. Non eos utique sub armis militare prohibuit, quibus suum stipendium sufficere debere præcepit.

Matt. 9. 2.

Et.

Act. 10. 4.

Matt. 11.

11.

Luc. 3. 14

5. Majoris quidem loci sunt apud Deum, qui omnibus istis sæcularibus actionibus dere-

lic-

licitis, etiam summa continentia castitatis ei  
 1. Cor. 7. 7. serviunt: *Sed unusquisque*, sicut Apostolus  
 dicit, *proprium donum habet à Deo; alius  
 sic, alius autem sic.* Alii ergo pro vobis  
 orando pugnant contra invisibiles inimicos, vos  
 pro eis pugnando laboratis contra visibiles  
 barbaros. Utinam una fides esset in omnibus,  
 quia & minùs laboraretur, & faciliùs diabolus  
 cum angelis suis vinceretur. Sed quia in hoc  
 sæculo necesse est ut cives regni cælorum in-  
 ter errantes & impios tentationibus agiten-  
 tur, ut exerceantur, & tanquam in forna-  
 ce sicut aurum probentur, non debemus an-  
 te tempus velle cum solis sanctis & iustis  
 vivere, ut hoc suo tempore mereamur ac-  
 cipere.

6. Hoc ergo primùm cogita, quando ar-  
 maris ad pugnam, quia virtus tua etiam ipsa  
 corporalis donum Dei est. Sic enim cogitabis  
 de dono Dei non facere contra Deum. Fides  
 enim quando promittitur, etiam hosti servan-  
 da est contra quem bellum geritur; quanto  
 magis amico pro quo pugnatur? PACEM HA-  
 BERE debet voluntas, bellum necessitas, ut  
 liberet Deus à necessitate, & conservet in pa-  
 ce. Non enim pax quæritur ut bellum excite-  
 tur, sed bellum geritur ut pax adquiratur.  
 Esto ergo etiam bellando pacificus, ut eos  
 quos expugnas, ad pacis utilitatem vincen-  
 do perducas. *Beati enim pacifici*, ait Do-  
 minus, *quoniam ipsi filii Dei vocabuntur.*  
 Si autem pax humana tam dulcis est pro tem-  
 porali salute mortalium; quanto est dulcior  
 pax divina pro æterna salute Angelorum? Ita-  
 que hostem pugnantem necessitas perimat,  
 non voluntas. Sicut rebellanti & resistenti  
 violentia redditur, ita victo vel capto mise-  
 ri-

ricordia jam debetur, maximè in quo pacis  
 perturbatio non timetur.

7. Ornet mores tuos pudicitia conjugalis,  
 ornet sobrietas & frugalitas: valde enim TUR-  
 PE EST, ut quem non vincit homo, vincat  
 libido; & obruatur vino, qui non vincitur  
 ferro. Divitiæ sæculares si desunt, non per  
 mala opera quærantur in mundo; si autem  
 adsunt, per bona opera serventur in cælo.  
 Animum virilem & christianum, nec debent,  
 si accedunt, extollere; nec debent frangere,  
 si recedunt. Illud potiùs cogitemus quod Do-  
 minus ait: *Ubi est thesaurus tuus, ibi erit*  
 & *cor tuum*; & utique cum audimus ut *cor*  
*sursus* habeamus, non mendaciter responde-  
 re debemus, quod nosti quia respondemus.

Mat. 6. 21.

8. Et in his quidem bene studiosum te  
 esse cognovi, & fama tua multùm delector,  
 multùmque tibi in Domino gratulor, ita ut  
 hæc epistola magis tibi sit speculum ubi qua-  
 lis sis videas, quam ubi discas qualis esse de-  
 beas: verumtamen quidquid sive in ista sive  
 in Scripturis sanctis inveneris, quod tibi ad  
 bonam vitam adhuc minus est, insta ut ad-  
 quiras & agendo & orando; & ex iis quæ  
 habes gratias age Deo tanquam fonti boni-  
 tatis unde habes; atque in omnibus bonis ac-  
 tibus tuis illi da claritatem, tibi humilitatem.  
 Sicut enim scriptum est: *Omne datum op-*  
*timum, & omne donum perfectum desur-*  
*sum est, descendens à Patre luminum.*  
 Quantumcumque autem in Dei & proximi  
 caritate atque in vera pietate profeceris, quam-  
 diu in hac vita conversaris, sine peccato te  
 esse non credas. De ipsa quippe legitur in  
 litteris sanctis: *Numquid non tentatio est vi-*  
*ta humana super terram?* Proinde quoniam  
 sem-

Jacobi 1.  
17.

Job 7. 1.

*Mat. 6. 12.* semper, quamdiu es in hoc corpore, necessarium est tibi in oratione dicere quod Dominus docuit: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris;* memento citò ignoscere, si quis in te peccaverit, & à te veniam postulaverit, ut veraciter possis orare, & peccatis tuis veniam valeas impetrare. Hæc dilectioni quidem tuæ festinanter scripsi, quoniam me festinatio perlatoris urgebat. Sed Deo gratias ago, quoniam bono desiderio tuo qualitercumque non defui. Semper te misericordia Dei protegat, Domine eximie, & meritò insignis atque honorabilis filii.

FINIS TOMI VI.

ERRATA SIC CORRIGE.

Pag. 9. lin. 4.	<i>videbit, lege..</i>	videbis.
106. . . . . ult.	<i>amicor quando.</i>	a micior quanto.
139. . . . . not.	<i>legitur. . . . .</i>	legitur.
238. . in marg.	<i>ecura . . . . .</i>	secura.
259. . . . . 24.	<i>ad . . . . .</i>	ab.
260. . . . . 28.	<i>es . . . . .</i>	est.
287. . . . . 16.	<i>obdiens . . . . .</i>	obediens.
289. . . . . 13.	<i>illi . . . . .</i>	ille.
Ibid. . . . . ult.	<i>habitabit . . . . .</i>	habitavit.
315. . . . . 16.	<i>ulpæ societate.</i>	culpæ societatis.
Ibid. . . . . 17.	<i>volumut . . . . .</i>	volumus.
322. . . . . 4.	<i>hoc . . . . .</i>	hoc.
335. . . . . ult.	<i>intruamur . . . . .</i>	intueamur.
394. . . . . ult.	<i>propiquitates . . . . .</i>	propinquitates.
399. . . . . 32.	<i>arbirrium . . . . .</i>	arbitrium.
418. . . . . 32.	<i>mæchaveris . . . . .</i>	mæchaberis.
424. . . not b.	<i>nonnnlli . . . . .</i>	nonnulli.
432. . . . . 13.	<i>ex . . . . .</i>	ex.
489 . . . . . 21.	<i>pald . . . . .</i>	pauld.
539. . . . . 22.	<i>etiam . . . . .</i>	etiam.



